

Za
4594

X 2005895

IN HONOREM

Nuptiarum

ORNATISSIMI ET INTE-
GERRIMI VIRI, DN.

IACOBI CÆSARIS

HASELFELDENSIS SPONSI,

Iudicio VVitzlebico in VVolmer-
stedt præfecti;

ET

Pudicissimæ & honestissimæ virginis

MARIÆ,

Integerrimi & vigilantissimi viri ANTONII

HAVBOLDI Quæstoris quondam Eyllen-
burgi piæ defuncti, relictae filiae,

SPONSAR:

Celebratarum Martissyrgi die 26. Febr.

Anno 1599.

•••••

1918 [1140] P 117

LIPSIÆ,

Imprimebat Michael Lantzenberger.

BIBLIOTHECA
MONTICAVIANA

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK
HALLE
(SAALE)





Sponso Sponsæq; gratulantur.

QUANTA trahat secum coniux incommoda,
 quantas
 Curarum moles, res manifesta fat est.
 Et tamē haud quisquā est (nisi fortè homo nō homo
 Qui non vxorē, tempore dante, velit. (Timon)
 Quæritur illius ratio: Consultus Apollo,
 Vnusquisq; suum iure reposit, ait.
 Nam costam lateris recubans amisit Adamus,
 Ex qua pōst coniux ædificata fuit.
 Hinc quicunq; hominis descendit origine primi,
 Hanc costam lateri sentit abesse suo.
 Et postquam sentit (quis enim sua quærere nolit?)
 Quærit vbi lateat quæ sibi costa latet.
 Nec prius absistit, quàm tandem inuenerit illam,
 Inuentam lateri consueritq; suo.
 Atque vel ignauus vel planè est ille scelestus,
 Qui costam amissam non aliquando petit.
 Ergò te celebros, te Sponse, vir optime, laudo,
 Quod tua iam repetas: Optimus, aio, vir es.
 Nam VIR hic est, domuit primò quem VIRGA puel-
 Et cui pōst iuueni VIRGO pudica datur. (Ium,
 Viue igitur felix, lateriq; tuo assue COSTAM,
 Quæ prius est in Adam ex corpore sumpta tuo.

Quirinus Zeiss Merseburg.

A 2

Fama



Fama est, & passim vulgaris opinio serpit,
Hoc apud infernos legibus esse ratum,
Ut, quæquæ cælebs Erebi descendit in ima
Virgo, nec est lecti fœdere iuncta prius,
Ante fores Ditis sedeat, paruoq; lucello
Contemtum thalami diluat ante fores.
Credibile est veteres laudes voluisse sacrati
Coniugij tali commemorare ioco.
Scilicet ut iuuenum temeraria corda docerent,
Neglecto tædas non numerare loco:
Vita quod asperior socialis, quodq; subirent
Plus oneris, leges qui subiere thori:
Sed discant omnes communi iure teneri,
Fœdera quo thalami sanxit habere **DEVS**.
Alter ut alterius pietatem exerceat, vxor
Cum socio ritè est viuere iussa viro.
Hancq; **DEI** legem quisquis contemserit audax,
Ultorem spretæ sentiet esse **DEVM**.
Ergo erit hic aliquis, qui non gratetur Amori
Sponse tuo: & sanctum non tueatur opus?
Sis felix, tædisq; tuis **DEVS** annuat author,
Idem auctor reliquæ prosperitatis erit.

Georgius Hahn
Borussus.

IACO-



IACOBO CAESARI CONTERRANEO
SPONSO AMIGO.

NVper in æde sacra tibi Maxime diue, vetusta
Vrbis quam in medio mœnia Martis habêt:
Cum facer Antistes sponfos pro more referret,
Inter & hos nomen culte IACOBE tuum.
Admirans rerum ignarus, sed nomine motus,
Fortè, inquam, SPONSVS mi popularis eris?
Est ita: templa subis MARIA cum Virgine sponfa
Sponse, auidus socio subdere colla iugo.
Gratulor ex animo, Sed dic quo iure maritam
Affociari optas Martis in vrbe tibi?
Cur non, à corylis campi quæ nomẽ adepta est,
Iunxisti sociam, patria in vrbe, parem?
Non sic in messem peregrinam mittere falcem,
Sis licet & CAESAR nomine, amice decet.
Fato vita datur nobis, connubia fato
Quod fiant, nostrum nemo negabit, ais.
Ergò tibi, quia vera refers, IACOBE, MARIA
Sidere fatali SPONSA petita venit.
Laudibus es dignus, foedos dum respuis ignes
Cypridis, & pluris foedera casta facis.
Hæc est vita DEO nostro pergrata, sub illa
Quamuis, vt verum est, tristia multa latent.

A 3

Optima

Optima, fide DEO, sperans mala cuncta ferendo,
Fidens, exuperat quæq; sinistra, DEO.
Viuite concordēs multos feliciter annos,
Vester & æterno tempore duret amor.
Viuite concordēs, sic vobis magna bonorum
Suggeret & lecti pignora multa DEVS.
Hoc precor, hoc reprecorq; tibi popularis ami-
Sit compos voti Sponsa MARIA tui. (ce,
Sufficit: antiquæ pro consuetudinis vsu
Qualia sint, memori suscipe mente, VALE.

Andreas Reichenrodus
Elricensis.


ECce puellarum quid vult concursus ad alta
Mœnia, quæ Martis nomina clara tenent?
Quid petitis? non hîc sedes est apta puellis,
Arma rigent, rigidi Martis in vrbe, fera.
Non hîc est vobis requies querenda salubris,
Arma etenim Martis nil nisi in vrbe viget.
Sed magis arridet vobis pax mitis, ad arma
Ferreæ fœmineæ est non satis apta manus.
Nil moror: optatam properant Mauortis ad urbem,
Et cupiunt Paphia thura litare Dea.
Ad portam veniunt, psallant sua cantica Nymphae,
Atq; tuba resonat Sala sonora sono:
Vnanimisq; petunt votis te Sponse, precantes,
Vt thalamum subeat bella puella tuum.
Bella satis Maria est, reliquas supereminet omnes,
Quas Cypria ad Martis mœnia grata vehit.

Si faci-

Si faciem spectas, facies formosior ostro,
 Labra rubens, oculos nigra, decora genas.
 Siq; index animi facies: certè ut gerit illa
 Egregiam faciem, mens quoq; fraude caret.
 Non amat hæc rixas & friuola verba malorum,
 Qua pariunt tadis tadia multa pijs.
 Sed pacis studiosa, suum placare maritum
 Edocta est, ut sint gaudia firma thori.
 Verùm aliquis quarat: cur non tua gaudia differs
 Coniugij, donec Cynthia axe micet?
 Huic referas: æstas res est odiosa puellis,
 Tunc vires languent, languet & omnis amor.
 Et causas addas quod destruat illa calorem,
 Quem medici fontem roboris esse docent.
 Nam calor ingenitus, si quis superaduenit alter
 Maior & exterior, deficit: alget amans.
 At duo se recubant in eodem corpora lecto,
 Tunc parili sese membra calore fouent.
 Cætera prætereo, & Physicis sua dogmata linquo,
 Namq; ioci nimij fors reprehensor erit.
 Iam potius tua te Maria amplectetur amore,
 Sive serena æstas, sive sit acris hyems.
 Atq; tuus contra, nullis prohibentibus astris,
 Veris & autumnis tempore duret amor.
 Sponse igitur Sponsam, Sponsum complectere Sponsa,
 Coniugio stabili quem tibi iungit Eros.
 Adsit Eros, & amore pari connubia firmet
 Autor coniugij qui regit astra DEVS.

Iohannes Handschä
 VValdheimensis.

D V L C B




Dulce quidem est Cois generatum nectar in oris ;
 Dulcia sunt pressis mella coacta fauis :
 Est lyra dulcis , agens mira dulcedine mentes ;
 Vox dulcis , docti quæ fuit ore viri :
 Dulcis in excultis sopor est , qui ducitur hortis ;
 Dulce , quod ingenua quæritur arte , lucrum :
 Dulcior at longè est coniux pia , casta decensq ; ,
 Nectare , melle , lyra , voce , sopore , lucro .
 Moribus hinc placidis , pietate , sacroq ; pudore ,
 Cum tua præcipuis **S P O N S A** sit aucta bonis ;
 Quis tibi non dulcem , **C A E S A R** , fore dixerit vsum
 Coniugij , ad vitæ tempora summa tuæ .
 Ergò **S P O N S E** tuis toto iam pectore fatis
 Gratulor , & votis prosequor illa pijs :
 Annosi vt superes , salua cum coniuge saluus ,
 Nestoris extractam post tria secla necem ;
 Sponsaq ; , perfecto decursi temporis anno ,
C A E S A R E A M illustret prole recente domum .
 Nil nisi dulce tuos intret , pie **S P O N S E** , penates ,
 Sitq ; procul , bilem quicquid & arma ciet ;
 Corporis exuijs donec mortisq ; solutus
 Lege petas superas , & tua **S P O N S A** , domus .

*Vitus Stephanus Lauch-
 stetensis.*

F I N I S .

Jan. Za 4594

QK




B.I.G.

Farbkarte #13

Za
4594

X 2005895



IN HONOREM
Nuptiarum
ORNATISSIMI ET INTE-
GERRIMI VIRI, DN.

IACOBI CÆSARIS
HASELFELDENSIS SPONSI,
Iudicio VVitzlebico in VVolmer-
stedt præfecti;

ET
Pudicissimæ & honestissimæ virginis

MARIÆ,

Integerrimi & vigilantissimi viri ANTONII
HARBOLDI Quæstoris quondam Eylen-
burgi piæ defuncti, relictae filiae,

SPONSAE:

Celebratarum Martisspyrgi die 26. Febr.

Anno 1599.

1918 [1140] P 117

L I P S I A E,

Imprimebat Michael Lantzenberger.